



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

496. An ad impositionem pensionis necessaria sit scriptura.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

Quaestio 496. An ad impositionem pensionis necessaria sit scriptura?

Respondeo: Ad reservationis pensionis essentialiam seu validitatem practice necessaria non est scriptura; cum gratia solo verbo Papa perfici dicatur, supplicatio vero signata deserviat ad faciliorem probationem concessionis ac perfectionis voluntatis, non autem ad substantiam gratiae. Card. de Luc. de pens. d. 1. n. 3. citans Gig. de pens. q. 34. Lott. l. 3. q. 1. n. 4. & seq. & q. 2. per tot. Et quamvis in materia beneficii, ut pergit Card. de Luc. loc. cit. n. 4. neque supplicatio signata sufficiat ad perfectionem & certitudinem gratiae, nisi sequatur registratio, per quam, & non prius, resultat dicitur jus quantum; attamen id provenit ex eo, quod ante registrationem supplicatio detineri, ac etiam lacerari possit per Datarium ob aliquam detectam ignotam circumstantiam, seu ex alio motivo, non autem ut supplicatio sit practice necessaria ad substantiam & probationem; ideoque aliud est agere, an supplicatio cum sola signatura ante registrationem tribuat jus nec ne; aliud, an amissio supplicationis super gratia aliunde iustificata per literas illi praedictet. Licet enim literae non expediantur sine praevia supplicatione; attamen postquam per manus tot officialium sunt reversae & plumbatae, non existentia ipsius supplicationis originalis, de facili amissioni subiecta, non tollit substantiam gratiae; &c. Eadem expressius traditidem Card. de pens. d. 40. n. 7. ubi: quod reservatio pensionis oretenus facta sustineretur, ita ut literae ex intervallo expediri possint; ed quod scriptura non sit de substantia gratiae, quae solo verbo perficitur, literae autem expediri soleant ad memoriam, magisque certam ac tutam probationem ex deductis per Gonz. ad reg. 8. gl. 12. n. 47. & gl. 55. n. 23. Unde licet in pensionibus per Papam reservatis necessariae sint literae, sine quibus pensio exigi nequit, & si defacto exigatur, gratia corrumpat; attamen id proveniat ex particulari stylo pro iuribus & emolumentis officialium; idque concernat potius impedimentum executionis, quam substantiam seu perfectionem gratiae. De quo postremo puncto specialiter nihilominus sit

Quaestio 497. An & qualiter super pensionis reservatione expedienda litera?

Respondeo: Praeter jam dicta ad valorem gratiae reservationis non sunt necessariae dictae literae; gratia enim pensionis a principio fuit in esse deducta; sola enim signaturae perficitur; neque literae sunt necessariae ad alium effectum, quam probationis, Lott. l. 1. q. 37. n. 56. Et quamvis ex decreto irritante (nimirum ipsam pensionem) apponi solito in reservatione pensionis, illa ante expeditionem literarum desuper confectam, seu alias quam vigore literarum exigi nequit; verumtamen id solum procedit ad impediendam exactiorem pensionis (intellige jam quod ad esse & valorem suum independentem ab illis constituta) ed quod, si solutio illa fieri posset ante dictam impeditiorem, cederet id in grave detrimentum Datariae & Cancellariae, ad quem effectum decretum illud adijci solet. Card. de Luc. de pens. d. 29. n. 3. De cetero etiam, si dictae literae non fuerint expeditae intra novem menses, redditur quoque nulla reservatio pensionis ex decreto Clem. VIII. Ventrigl.

P. Leuren. Fori Benef. Tom. III.

to. 2. annot. 11. §. 1. n. 29. citans Garca p. 4. c. 2. n. 42. Lott. l. 1. q. 37. n. 7. Barbof. juris Eccles. l. 3. c. 11. n. 98. Salust. Tiber. in pr. Audit. Cam. l. 3. c. 4. n. 3. &c. Verumtamen de hoc infra, ubi de potestate pensionarii exigendi pensionem; hic enim sufficebat resolvere, dictam expeditionem literarum non esse de substantia, seu forma pensionis quod ad primam ejus constitutionem, etsi sit de ejus substantia quoad conservationem seu durationem pensionis jam valide constituta.

Quaestio 498. An reservari possit alicui pensio sub conditione, ut eam dimittat, si beneficium assequatur?

Respondet Azor p. 2. l. 8. c. 12. q. 15. id fieri non posse sine labe simoniae ab Inferiore Papa; v.g. a Legato, habente potestatem reservandi certas pensiones, si is ita conveniat cum Titio: Reservabo tibi pensionem annuam quinquaginta aureorum eo pacto, ut eam dimittas, cum tibi beneficium contulero, ed quod promittat ei se datum beneficium sub conditione pensionis a Titio relinquenda; beneficium autem sub conditione nec promitti nec conferri posse. Verum non video, quomodo iste actus: Confero tibi pensionem duraturam, usque dum beneficium consequaris a me: contineat talem conditionatam promissionem; cum per istum actum ne quidem promittat se ei collaturum beneficium; cum possit illum habere absque eo, quod de facto cogitet ei conferre aliquando beneficium.

Quaestio 499. An iuste constituantur pensio sub hac clausula apponi solita: habitam vel non habitam possessionem beneficii?

Respondet affirmativè. Azor p. 2. l. 8. c. 9. q. 1. Castrop. de benef. d. 1. p. 11. §. 5. n. 8. citantes Nav. ro. 1. consil. tit. de prob. cons. 51. n. 4. ac ita supponunt Paris. l. 6. q. 2. n. 146. Filliuc. in append. posth. tr. 42. c. 6. n. 1. Licet enim pensio constituitur in fructibus, obligationem tamen quis suscipere potest solvendi, etsi fructus nullos percipiat, modo jus habeat ad illos percipiendos, sicut potest quis obligari pensionem solvere illis annis, in quibus nullos fructus collecturus esset. Cumque haec obligatio sponte suscepta sit, dum quis beneficium tali pensione gravatum suscipit, non debet ei durum & difficile esse eidem satisfacere; cum difficultas rem promissam praestandi praesertim praevia, promittentem non excuset, uti nec eventus, quem potuit ac debuit praevidere, periculumque ac damnum, quod quis sua sponte incurrit & sustinet, ipsi imputetur Azor Castrop. l. cit. Proinde in contrarium nihil facit, quod obligatus solvere certam mensuram tritici colligendi ex praedio, non teneatur ad solutionem, dum nihil tritici ex illo praedio collegit; nam si obligasset se talis mensuram tritici solvere, sive eam collegisset, sive non, sicut contingit in praesente casu, teneretur eam solvere, etsi tritici nihil collegisset: sicut econtra obligatus non esset titularis, si absolute solum obligatus esset ex fructibus ex beneficio perceptis, dum per eum non stat, quod minus eos percipiat. AA. ijdem. Sed neque simoniacum quid continet, ex eo, quod, si pensio non habitam possessionem beneficii, adeoque nullis perceptis fructibus solvenda adhuc esset, videatur, quod ea debeatur ex ipso titulo beneficii, & beneficiatus eam